

Bibliothèque numérique

medic@

**Boulet, J.-B.-J.. - Dubitationes de  
Hippocratis vita, patria, genealogia,  
forsan mythologicis ; et de  
quibusdam ejus libris multo  
antiquioribus quam vulgo eruditur.  
(Cand. J.-B.-J. Boulet)**

*1804.  
Paris  
Cote : 6326 (1)*



(c) Bibliothèque interuniversitaire de médecine (Paris)  
Adresse permanente : <http://www.bium.univ-paris5.fr/histmed/medica/cote?06326x01>

# DUBITATIONES

N.<sup>o</sup> 153.

DE HIPPOCRATIS VITA , PATRIA , GENEALOGIA , FORSAN  
MYTHOLOGICIS ; ET DE QUIBUSDAM EJUS LIBRIS MULTO  
ANTIQUIORIBUS QUAM VULGO CREDITUR.

## DISSERTATIO MEDICO-HISTORICA,

*Quam , juxta articulum XXXI edicti Consularis , vigesimo  
die mensis Prairialis promulgati , pro Medicinæ Doctoratū  
gradu adipiscendo , sistit et tueri conabitur , die secundā  
mensis Pluv. ann. XII.*

P R A E S I D E P E T R O S U E ,

J. B. J. BOULET (Hesdinensis) ,

Medicus Insulanus , olim Nosocomiorum militarium Chirurgus  
primarius et militaris chirurgiæ Professor.



*Veniet tempus quo posteri nostri  
tam aperta nos nescisse mirentur.*

SENEC. , nat. quæst.

P A R I S I S ,

T Y P I S D I D O T J U N I O R I S ,

Typegraphi Scholæ Medicae Parisiensis .  
A N N O X I I .

# EDITION FRANÇAISE

DISPUTATIONES HISTORICO-MEDICO-CRITICAE  
DOCTOR PRÆSES,  
C. SUE.

AD HIPPONIOTICHEM OTTAVI ALIO  
DOCTORES DISPUTATURI,  
CC. THOURET.  
LE ROUX.  
PETIT-RADEL.  
DESGENETTES.  
ANDRE O DUMERIL. GARDINIER.

PARIS, CHEZ J. B. BOISSEAU, LIBRAIRE DE LA SOCIÉTÉ DE MEDICINE,  
1818. TOME I. 8°. 120 FRANCS.

PARIS, CHEZ J. B. BOISSEAU, LIBRAIRE DE LA SOCIÉTÉ DE MEDICINE,  
1818. TOME II. 8°. 120 FRANCS.

PARIS, CHEZ J. B. BOISSEAU, LIBRAIRE DE LA SOCIÉTÉ DE MEDICINE,  
1818. TOME III. 8°. 120 FRANCS.

Decimo nono frimarii mensis die, anno 7, Gymnasii Professores opiniones  
in dissertationibus Gymnasio exhibitis emissas, auctoribus proprias habendas  
esse, et illas a se nec approbari nec improbari statuerunt.

M A N I B U S  
V I R I I M M O R T A L I S ,  
P E T R I - J O S E P H I D E S A U L T ,  
M E D I C I M A X I M È H I P P O C R A T I C I ,  
I N T E R C H I R U R G O S N O B I L I S S I M I ,

D. V. C.



J. B. J. BOULET, Discipulus, Alumnus, Amicus ;  
Diarii ejus Chirurgici quondam Scriptor præcipuus.

LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES  
DUBITATIONES HIPPOCRATIS VITA,  
PATERIA, GENEALOGIA, FORSAN MYTHOLOGICIS;  
ET ALITER DE HISTORIA MEDICO-ANTICA  
AD HISTORIA MEDICO-ANTICAM  
EX CAVENDISH LIBRARY  
UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES  
1850

# DUBITATIONES

*De Hippocratis vitâ, patriâ, genealogiâ, forsitan mythologicis; pars I. De quibusdam ejus libris multò antiquioribus quam vulgo creditur; pars II.*



## P A R S I.

HIPPOCRATES, antiquorum medicorum longè celeerrimus, etiamnum medicinæ lumen, ferè Coætaneus, ut aiunt, Democriti Abderitæ, Socratis, Platonis, Perdicæ Macedonis, et Artaxerxis Persarum regis; natus fertur in insulâ Cô, unâ Sporadum, paulo ante tempora belli Peloponesiaci, circa octagesimam Olympiadem, et annum 2263 ante hunc duodecimum Reipublicæ Gallicæ annum. Hæc est vulgaris opinio apud biographos et historiæ medicæ scriptores, secutos Soranum Ephesium.

Si tamen attentè legerimus opera summi viri, si vitæ ejus narrationem, ut circumfertur, criticè discusserimus, incidet dubitatio maxima de tempore et loco ubi natus fuerit Hippocrates: imo ea omnia, quæ de ipso dicta sunt, veritati parum consonare videbuntur.

Unum certum est Hippocratis libros jam celeerrimos fuisse versus belli Peloponesiaci tempora, à quibus peritissimi quicumque critici veritatis historicæ initia ordiuntur. Probabile ergo est eos libros extitisse ante illa tempora; magno enim annorum intervallo opus fuit ut exsicerentur, ut exemplaria multiplicarentur, et maximè ut dogmata neoterica, etsi summi viri ac penè divini, ab omnibus

( 6 )

philosophis laudarentur, ab omnibus ferè medicis in regulam practices reciperentur.

Plato, vetustissimus scriptorum apud quos Hippocratis nomen legamus, loquitur de Hippocrate tanquam jam antiquo ac majoris auctoritatis viro quam convenit viventi, aut recenter mortuo. In *Phædro* enim inducit Socratem respondentem Phædro ipsi, testimonium Hippocratis invocanti, *attendendum esse, in naturæ perscrutatione, quid Hippocrates et vera ratio dicat.* Et sanè hanc auctoritatem Hippocrati non tribuisse Plato, si Hippocrates vixisset ad octavum annum ante obitum Platonis ipsius, ut innuit vulgaris chronologia. Hoc etiam sensisse videtur Galenus, cum ait (*meth. med.*) Platoni, in multis librorum ipsius locis, maximè omnium *qui ante ipsum fuerint admirationi esse Hippocratem.* Tempus ergo Hippocratis non admodum certum est.

Non certior est patria; etsi tempore Platonis, ut videre est in ejus *Protagorā*, vulgare fuerit Hippocratem esse Coum, Aesculapii stirpe natum. In libris enim ipsiusmet Hippocratis insula Cos nequidem est nominata. Constitutiones temporum, quas in libris *Epidemicorum* maximè genuinis primo et tertio delineat, sunt adscriptæ insulæ Thaso, hodiè *Tasso*, ad littus Thracicum. Aegroti item, quorum historiæ in his libris adferuntur, jacebant in Thaso ipsâ plerique, cæteri in urbibus Thracicis aut saltem Thraciæ vicinis.

Alii quinque, evidenter spurii, *Epidemicorum* libri, videntur, quoad maximam partem, indigestæ exscriptiones ex alicujus periti magistri et fortassis, ut conjectatur Galenus, Hippocratis ipsius disciplinâ aut etiam prælectionibus. Continent gentem morborum ac ægrorum farraginem, in quâ leguntur eadem historiæ, saepius repetitæ sub iisdem nominibus et aliquando iisdem verbis. Aegroti habitabant multi in Thaso et Thraciâ, pauci in Thessaliâ, aliqui in variis Græciæ urbibus, duo vel ad summum tres Athenis, nullus in insulâ Cō. Sed quid hoc, cum libros istos Hippocrati nemo nunc tribuat?

Probabile igitur videri possit Hippocratem fuisse Thracem,

( 7 )

aut saltem diutissimè in Thraciâ degisse et medicinæ practicen ibi exercuisse , quod fortè non fuisset viri græci. Multum quoque momenti huic opinioni addere potest liber *de Aeribus, aquis et locis*, unus è maximè genuinis et talis habitus ab antiquis, etiam à vetustissimo Aristophanis Scholiaste. Ibì enim (*Vander-Lind. a. 345. XXX. 7 et 8.*), loquendo de naturâ Asiæ, dicit Hippocrates eam *expositam ad auroram in medio solis exortu*, et esse mitiorem illâ Europæ regione in quâ ipse habitabat. Porrò Thracia est solus Europæ tractus cuius respectu pars Asiæ , quam describit Hippocrates , sita fuerit ad orientem , dum littus asiaticum Paludis Mæotidis respiceret punctum medium inter orientem et septentrionem , vel *dextram orientis solis* , ut ipse loquitur (*Vander-Lind. a. 347. XXXIV. 1.* ).

Prætereà Asiam , utpote patriæ vicinam , magis cognovisset, si fuisset Cous , minùs autem septentrionales Europæ Regiones longo locorum intervallo dissitas et tunc temporis admodùm barbaras. In libro tamen mox adducto , si excipias partem Asiæ occidentalem ad Thraciam vergentem , pauca de reliquâ Asiâ , et ea sæpiùs ut verisimilia tantùm profert; dum multa affirmat de partibus Europæ septentrionalibus usque ad Ursas et montes Riplæos , multa etiam de Scythis nomadibus , quorum mores , hodiernis Tartarorum moribus etiamnum consonos, ut sibi perspectos , latissimè describit.

Hic addere possemus in pluribus librorum hippocraticorum locis laudari carnem caninam , cuius esum Thracibus familiarem fuisse *Sextus Empiricus* memoriæ mandavit.

Multum quoqüe ad rem faceret deorum sacra et musicam Græcos edoctos fuisse à Thracibus Orphæo, Eumolpo, Musæo, Thamyri, apud Plinium Thamyrâ, etc. ; loca , ubi præcipue colebantur musæ , Pieriam, Olympum , Parnassum, Pimplam , Libethrum , antiquius fuisse Thracica ; insuper Thrases ipsos , Bœotiæ inquilinos, Heliconem musis consecrasse , ut post multò antiquiores notaverunt Strabo, Pausanias , Plinius , Lucianus : unde evidenter sequeretur Græcos fuisse olim Thracum discipulos.

Cùm igitur hippocratici libri , in quibus invenitur aliqua locorum

( 8 )

mentio, referant auctorem ad Thraciam aut loca Thraciae vicina, nullus autem ad insulam Coon, si excipias librum i de *Prædictionibus*, omnino spurium, in quo adducitur Cous quidam ægrotus; mirum videri potest cur non Thrax, sed Cous, ab omnibus omnium ætatum Græcis, etiam à Cois ipsis, si Sorano credamus, dictus fuerit.

Cos insula, olim florentissima, dicata fuisse videtur, ante omnem hominum memoriam, Æsculatio medicinæ deo vel, ut Græci loquuntur, *dæmoni*; quod vocabulum, ex Platonis lectione, dicerem *causam secundariam ignotam*. Templum ibi celeberrimum, in quo morborum descriptiones et curationes inscribebant sacerdotes medici, extabat adhuc, cùm Strabo geographicæ conscriberet. Ad hoc templum concurrebant omnes Græci, ut testantur ingentia donaria quorum Strabo meminit. Epidaurii ipsi, ut innuit Pausanias in *Laconicis*, ante urbem suam conditam, *legatis ad Æsculapium in insulam Coon publicè missis*, inde asportasse videntur Dei et medicinæ cultum, quem in cæteras Græciæ partes postmodum invexerunt.

Hinc non inconcinnè conjici posset præstantissimum medicinæ Auctorem, quisquis et undecumque is fuerit, à Græcis, allegoriæ mythologicæ amantissimis, dictum fuisse Coum et Asclepiadem, sicuti Apollo natus ferebatur in Delo et dicebatur Delius, quia ex hâc insulâ in Arcadum Delphusam aut Thelpusam priùs, deinde in cæteras Græciæ partes cultus ejus manaverat; ut videre est in hymno antiquissimo, ad calcem operum homericorum adjecto.

Si ergo constarent hæ inductiones, patria Hippocratis esset merè mythologica; sed tunc genealogia ejusdem et vita, ut narratur, possent videri itidem descriptio allegorica originis et effectuum medicinæ, non autem historia alicujus viri, quisquis hic fuerit. *Prisci enim historici atque physici per fabulas scripserunt, sub involucre suas de rebus naturalibus sententias proponentes, et semper fabulam eis annexentes*; ut ait Strabo, *Geographi* libris i et io.

(9)

Hippocratis origo refertur ad Herculem et Æsculapium. Nomen hæc mythologica apprimè conveniunt cum mox adductâ allegoriâ. Medicinæ enim principia inveniuntur tūm in casibus bellicis, tūm in observatione causarum variæ valetudinis. Hercules autem, secundūm vim verbi et Platonis in *Cratylō* expositionem, nihil aliud est quām *gloria heroum* seu dæmon gloriæ heroicæ. Æsculapius, quem multi eundem crediderunt cum Pœone et etiam Apolline, ut videre est in Macrobi *Saturnalium* lib. I, cap. 10, est aeris salubritas, seu causa sanitatis; illius, apud Pausaniam, nutrix Trygon seu messis, uxor Epione seu lenitas, filia Hygiea seu sanitas ipsa.

Mythologiam suam hoc eodem modo evolvisse Græcos ipsos facilimè probaretur, tum ex Hesiodi Theogoniâ, ex Epinomide Platonis, ubi planetæ ipsi sunt dii cognomines; tum ex innumeris aliis ejusdem Platonis, Strabonis, Luciani et cæterorum locis. Huc sufficiat adduxisse Pausaniam, ut ipsem refert in *Achaicis*, cum « Sidonio homine contendentem in Æsculapii templo apud Ægientes, coram Dei et Hygiæ simulacro. Affirmabat vir Sidonius Phœnices peritiores esse rerum divinarum, quām Græcos. Inter Sidonios aiebat Æsculapio patrem Apollinem celebrari, matrem verò mortalem nullam; Æsculapium enim nihil aliud esse quām aerem ex quo Hygiea seu bona valetudo homini cæterisque animantibus advenit: Apollinem, qui sol ipse est, jure patrem Æsculapii perhiberi quod, anniversarias vicissitudines cursu conficiens suo, aeri salubritatem impertiatur. In his ego, pergit Pausanias, illi facile assentiebar; sed non esse magis Phœnicum eam opinionem quām Græcorum ostendebam, cùm, in oppido Sicyoniorum Titane, Æsculapii signum *salubritatis* dicatur: esse verò vel pueri manifestum corporum in terrâ salubritatem solis cursu effici. »

Ejusdem generis est Strabonis locus de Mileto urbe, *Geograph.* lib. 14. « Apollinem *Ulium* quemdam et Milesii vocant et Delii, ut potè salutiferum et medicum. Est enim *Ulein* sanum esse;

( 10 )

« undē *ule* cicatrix, et *ule* pro multūm salve : etenim Apollo s-  
« nator est et Diana *Artemis*, quòd *artemeas*, id est, integros  
« incolumesque faciat. His sol et luna accommodantur, quia penes  
« eos est potestas aeris temperandi. Quin et pestilentias et mortes  
« spontē accidentes iis imputant. »

Eadem sanè erat mens Celsi et Plinii, dum originem medicinæ referebant ad Apollinem et Æsculapium. Doctissimos enim, sapientissimos viros, in græcis litteris versatissimos, allegoriam manifestam non intellexisse et divinitati Apollinis et Æsculapii credidisse, eo quo nuac deos intelligimus modo, nemo asseruerit, nisi absurdus et rerum antiquarum penitus ignarus.

Sed redeamus ad Hippocratem : filius dicitur Heraclidæ et Praxitheæ filiæ Phænaretes. Nominum horum etymologia pertinet itidem ad medicinæ ipsius familiam. At vocum analysin missam faciamus, utpotè huic nostro sœculo minùs probatam.

Tota Hippocratis vitæ narratio ridiculum quid et anicularum nenii persimile videbitur, si fabulam transtulerimus ad personam viri in Græciâ, temporibus Peloponesiacis, reverà existentis; dum eadem erit allegoria non inconcinna nec invenusta, si ad medicinæ ipsius personam deducatur.

Hippocrates, aiunt, exscripsit historias et curationes morborum Æsculapii templorum columnis insculptas, et his qualibuscumque basibus, ingenio solo fultus, rationalem medicinam superextruxit. Ecquis istud viro quantocumque, etiam deorum filio, condonaverit? hiccine est ingenio humano progrediendi modus? immensum medicinæ ædificium, à minimis fundamentis ad summum fastigium ab uno extractum viro, quis sanus crediderit? Ridiculam hanc opinionem refellunt ipsimet hippocratici libri germanissimi. In libro enim secundo *Prædictionum*, in fine cap. 4. auctor loquitur de libris medicis aliorum, in lib. *de victus ratione in morbis acutis* laudat apud Cnidios morborum descriptiones, dum carpit diætam; in lib. *de locis in homine*, cap. 17, ait *medicinam sibi videri*

( 11 )

*totam inventam; qnod certe primo medicinæ rationalis scriptori minimè conveniret.*

Præterea, omisso vetustissimo *Alcmæone*, omissis anatomicis et physiologicis scriptis, quæ artem ante divini senis tempora jam multum proiectam probant, libri Hippocratis, præcipue chirurgici, ostendunt longam observationum practicarum seriem, ita naturæ conformem, ita minutè accuratam, ut luce clarius sit ista fuisse redacta post alios libros, qui jam continebant plurium sæculorum observationes et inventa. Vix enim apud nos, qui multas per quatuor sæcula summorum chirurgorum generationes numeramus, medicina chirurgica eodem pervenit, ubi illam reliquerat Hippocrates.

Quid dicam de templi Æsculapii seu bibliothecæ Coæ vel, ut alii cum *Andræa* volunt, Cnidiae incendio? Editis sanè optimis de medicinâ libris, morborum descriptiones in templorum columnis inutiles effectæ, antiqua Coorum et Cnidiorum scripta oblivione et situ confecta, metaphoricè dici potuerunt combusta ab auctribus sapientioris medicinæ: at incendii veri accusare doctissimum, modestissimum, sapientissimum medicum, esset summus impietatis, si non stupiditatis aut delirii cumulus.

Quod attinet ad fabulam Democriti et Hippocratis ad ipsum, publico Abderitarum decreto et decem talentis, accersiti; ad commenta lactis caprini, et puellæ superiori nocte vitiæ; hæc, utpotè puerilia, nullam merentur confutationem. Idem dicendum de ineptâ Artaxerxis auxilium in peste rogantis et Hippocratis superbè negantis historiâ; quamvis antiquissima sit et ad illam alicubi Cato alluserit. Tota enim hæc narratio indigna est Persarum rege et principe medico, divino sene: nisi fortè sic allegoricè depicta fuerit Græcorum scientia et Persarum in rebus medicis ignorantia. Quidquid id est, epistolæ cunctæ, orationes Hippocratis et Thessali, decreta Abderitarum et Atheniensium et Coorum, quibus suffulta narratio ad nos pervenit, evidentis suppositionis notas inustas ferunt: nusquam citantur à Galeno, et videntur juvenilis lusus sophistæ cujusdam, qui ignoraverit non solùm scribendi modum regi

( 12 )

Persarum et Hippocrati decentem, sed etiam, ut notat Haller, ævum Crateuæ *Rhizotomi*, et proportionem decem talentorum ad parvæ cujusdam Thracicæ urbis fortunas.

Superest nunc pestis ex Illyriâ in Atticam ventis adducta, et rogis accensis præcipuè depulsa, quod de *Acrone* Agrigentino multò anteriore jam narratum erat. At morbum illum nunc scimus non adyehi ventis, nec rogorum incendiis expelli. Insuper, ut scripsit mox laudatus Haller, pestis istius ab Hippocrate curatio minimè concordat cum narratione Thucydidis.

Origo igitur Hippocratis, tempus, patria, totius, qualis narratur, vitæ contextus, nihil habent certi, præter ingentem celebritatem librorum Hippocraticorum, temporibus Peloponesiacis, paulò post renovationem litterarum apud Græcos. Nonne fieri posset libros istos in tām antiquā ætate jam fuisse antiquissimos, et auctorem penè ignotum; ut accidit Homero, ut Æsopicarum fabularum auctori, et cunctis ferè qui scripserunt antè tempora nunc historica? Nonne fieri quoque potuit ut scripta probatissima medicorum, qui in diversis et regionibus et temporibus vixerant, Græco sermone vestita, sub unico Hippocratis nomine publicata venerint; sive is Hippocrates fuerit priscorum traductor, sive unus ipse è traductis auctoribus, sive etiam vox *Hippocrates* nihil aliud significaverit quam ipsius collectionis selectæ nomen; ut apud recentiores *collector*, *conciliator*, *contractor*, *concionator*, etc. libris quibusdam inscripta visuntur.

Nomen Hippocraticum plurimis et variae admodum doctrinæ libris præfixum; genuinorum, ut vocamus, à non genuinis difficillima timò impossibilis discretio; dictio concisa admodum in plerisque et à Græcorum scribendi more longè aliena; dialecti in cunctis ferè uniformitas; disputationes Hellenistarum de illâ dialecto; assertio Galeni, in lib. de Fracturis, sermonem Hippocratis à nonnullis priscum atticum existimari; omnia favent mox adductis conjecturis, quas etiam röboraret Platonis dicterium, Græcos novissimos esse respectu gentium barbararum à quibus medicinæ, scientiarum cun-

( 13 )

tarum rudimenta , etiam linguae suae voces plurimas acceperunt. Quid nunc , si probari posset quosdam saltem collectionis Hippocraticæ libros, Hippocrati ipsi aut posteris ejus adscriptos , multis extitisse sæculis ante tempora historica et omnem Græcorum memoriam ? Assertionem hanc adstruere et confirmare nunc satagemus.

---

## P A R S I I.

MULTAS antiquitatis remotissimæ notas habent libri Hippocratici , illi etiam quos minus genuinos vocantes ad posteros ejus rejicimus. Exemplo sit artium descriptio in libro primo de *Sanorum victus ratione* , quem multi cum Galeno tribuunt Polybo Hippocratis genero. Ibi ( *Vander-Lind. a. 194. XV. 42.* ) statuariam artem raptim describens , figulinas tantum statuas memorat auctor ; quamvis lignea , ærea , lapidea deorum et heroum signa , ante omnem memoriam confecta , nullum autem figulinum , Pausanias invenerit in vetustissimis Græciae templis. Ibidem , septem tantum litteræ alphabeto tribuuntur ; ex quo fit evidentissimum , librum istum scriptum fuisse ante Phœnicum et Cadmi in Græciam appulsum , multis proinde sæculis ante *Pericles* tempora et litterarum apud Græcos splendorem. « Grammatica , inquit auctor ( *Vander-Linden* , « a. 194. XVI. 1 ad 6. ) , tale quid est , figurarum compositio , « quæ sunt humanæ vocis notæ , facultas ea quæ præterierunt « in memoriam revocandi , et quæ facienda sunt demonstrandi ; « ea cognitio per septem figuras habetur. Hæc omnia homo tum « litterarum gnarus , tum earum rudis conficit. »

At liber iste , eruditione magnâ refertus et argutissimâ disciplinâ , pertinet necessariò ad sæculum aliquod litteratissimum et proinde

( 14 )

remotissimum ab obscuro Cadmi saeculo. Cadmus enim, ex vulgari chronologiâ, vixit inter Ogygis et Deucalionis diluvia. Ab Ogyge autem ad Cadmum, si Pausaniæ in *Bœoticis* et Straboni in lib. *Geograph.* 9. credamus, multæ nationes barbaræ, Ectenæ, Aones, Temmices, Leleges, Hyantes, Pelasgi, Thraces, Phænices demùm, magnam Græciæ partem occupaverunt successivè, unaquæque ab aliâ bello depulsa. Idem auctores memorant plurimas urbes, maximè Bœoticas, diluviis, terræ motibus et hiatibus deletas; fluviorum etiam alveos mutatos, et penitus absorptum Melanem amnem, relicta solùm palude in agro Haliartio; et illa accidisse inter Cecropem et Cadmum. Miserrima igitur hæc saecula fuerunt parùm opportuna litteris, et necesse videtur opus doctissimum et elegantissimum referre ad auctorem Ogyge anteriorem. Sed hic penitus deficit Græcorum memoria. Ægyptii soli, si fides adhiberi possit Solonis libro cuidam imperfecto, in Platonis *Timæo* et *Critiâ* laudato, rerum anteriorum memoriam in sacrâ templorum annalibus conservaverunt.

In utroque Platonis dialogo, Critias describit Athenarum statum multis saeculis anteriorem Phoronæo et Ogygi, e scripto Solonis accepto ab avo suo, qui juvenis per aliquot annos vixerat cum auctore: totaque narratio verisimillima videretur, si vulgatis temporum ideis minùs repugnaret tanta antiquitas.

Dicente igitur Critiâ, nec sub personâ Socratis contradicente Platone, Solo apud Saïticos, in Ægypti Deltâ, sacerdotes edoctus e sacris eorum libris exscripserat, Athenas antiquitùs artibus pacis et belli, legibus imprimis et medicinâ, cunctas civitates antecel-luisse; innumeras Atlantidarum copias totius ferè orbis victrices expugnasse; post hæc, novem ante Solonem annorum millibus, ingenti terræ motu, jugique diei unius et noctis illuvione factum esse ut terra deliscens illos omnes bellicosos homines absorberet, urbes in planicie sitæ ad mare raperentur fluminum impetu, et Atlantis insula sub vasto gurgite mergeretur; pastores ovium et bu-buleos, qui juga montium habitabant, solos evasisse, et ex hoc exiguo semine crevisse iterum Athenienses, litteris et musis per-

( 15 )

pluria sæcula orbatos, nihil e vetustâ historiâ reminiscentes, præter nomina quædam celeberrimorum virorum, post natis venerationis ergo indita: Ægyptum autem isti et similibus vastationibus obnoxiam non fuisse, propter naturales quas Solo dedit causas, ab Andréossy novissimè memoratas in §. VI. *descript. lacūs Menzaleh*; et proinde longissimam rerum memoriam nationibus superstitem assertasse.

Ad istas ergo antiquissimas Solonis Athenas, aut aliam quamlibet gentem litteratam et ferè æquævam, libenter referrem libros Hippocraticos *de Sanorum victûs ratione* et alias complures; nî, doctrinâ vulgari imbutus, ab antiquitate sæculorum viginti trigintaye supra centum abhorrem, stupore quodam percussus. Non minorem tamen annorum numerum indicant passim obviæ in libris Hippocraticis astrorum observationes; quarum præcipuas huc adducens, computationes meas et corollaria sapientioribus medicis et rerum mathematicarum peritioribus candidus subjiciam; postquam, ad faciliorem rerum intelligentiam, vulgares quasdam astronomicas veritates in lectoris memoriam revocare condonatum fuerit.

Vulgatissimum est, etiam apud rusticos, stellas quotidiè oriri, meridianum circulum attingere et sub horizonte occultari, quatuor circiter minutis ante horam ortûs, etc. diei proximè antecedentis; ita ut, perfectâ terræ revolutione annuâ, eodem sensim redierint undè initio anni præcedentis profectæ videbantur. Astrorum tamen positio paulisper immutata est: eadem enim stella, eodem alterius anni die observata, meridianum tangit duobus horæ minutis secundis et aliquot tertiis seriùs quam anno præcedente: undè astra videntur progredi circa eclipticæ polos et secundum ordinem signorum paulò plus quam quinquaginta gradûs minutis secundis annuatim, unum circuli gradum emetiri intra annum ferè sesquissem ultra septuaginta, et revolutionem totam completere spatio annorum 25,740.

Ex illo apparenti stellarum motu, manifestum est ecliptici circuli puncta quæcumque, et consequenter æquinoctialia, eadē quantitate progredi in sensum contrarium, id est, ex oriente in

( 16 )

occidentem : undē, cūm æquinoctium advenit, superest spatiū quinquaginta minutorum secundorum cum viginti tertīis percurrendū, ut terra idem præcisè attingat eclipticæ punctum in quo advenerat anno præcedenti æquinoctium ejusdem nominis. Hæc est illa celeberrima æquinoctiorum præcessio, potentissimum apud doctos veritatis chronologicæ fulcimentum.

Enimverò, si stella olim observata oritur nunc aut occidit in eodem loco sex mensibus seriūs, aut, quod idem est, si stella, horā quādam notā olim oriri visa, nunc eodem anni die duodecim horis tardius apparet; patet stellas aut æquinoctia medium revolutionem confecisse, et primam observationem distare à secundā intervallo annorum 12,870 \*. His nunc principiis hippocraticas astrorum observationes applicemus.

Auctor libri tertii *de Sanorum victūs ratione*, sive sit Hippocrates, sive Polybus, sive etiam, ut aliis placet, Gymnastes Herodicus, describit in capite secundo vivendi modum convenientem singulis anni tempestatibus dispositis, ut videtur, ad Græciam aut loca vicina, versūs 38 aut 40.<sup>um</sup> latitudinis gradum. Ortus et occasus siderum, ad anni circumscriptiōnem memorati, circumscribunt rursus auctoris ætatem, ejusque assequendæ viam nobis præbent facillimam. Auctorem ipsum audiamus, è versione latinâ editionis Hallerianæ. (*Vander-Lind. a. 242 et seqq.*)

« Annum in quatuor partes omnibus ferè notas divido, hiemem, ver,  
 « æstatem et autumnum. Ac hiemem quidem à Vergiliarum occasu  
 « ad æquinoctium vernum. Ver autem ab æquinoctio ad Vergi-  
 « liarum exortum. Æstatem à Vergiliarum ortu ad Arcturi exortum.  
 « Autumnum verò ab Arcturo ad Vergiliarum occasum. .... Ista  
 « victūs ratio instituenda est à Vergiliarum occasu ad solstitium

\* Hic ne requisieris astronomicæ veritatis rigorem quem daret transitus stellarum sub meridiano; sed ortum et occasum tantummodò ex antiquis habentes, his solis uti necesse habemus, ne imminensæ computationum moli succumbamus: error autem tantulus indē emergens non plurimum facit ad chronologicas suppunctiones.

( 17 )

« usque , diebus quadraginta quatuor. At , circa solstitium , in cus-  
 « todiâ quam maximè esse oportet , et à solsticio aliis totidem diebus  
 « eadem victus ratione uti. Ubi autem tempestas favonium adduxerit  
 « et mollior evaserit , victus quoque rationem cum tempestate sequi  
 « oportet , diebus quindecim , cum Arcturi exortus est et hirundo  
 » advenit. Sequens verò tempus variè magis jam transigere oportet ;  
 « ad æquinoctium usque , diebus duobus et triginta.... Victus ratio-  
 « nem instituas ad Vergiliarum exortum. Tunc jam adest æstas ad  
 « quam victus rationem instituere oportet. Cum itaque Pleias jam  
 « exorta est.... In hâc autem victus ratione ad solstitium æstivum  
 « usque perseverandum , etc. Tempore verò sequenti utatur mol-  
 « libus , etc. ad Arcturi exortum et æquinoctium , diebus tribus et  
 « nonaginta. Post æquinoctium autem , etc..... per dies duode-  
 « quinquaginta ad Vergiliarum occasum ab æquinoctio . »

Ex hoc auctoris loco sequitur , 1.º præter multorum opinionem , annum Græcorum illis temporibus completâ revolutione siderum definitum fuisse ; cum initium hiemis et finis autumni in occasum Pleiadum inciderit.

2.º Occasum Pleiadum tunc temporis advenisse diebus 48 post æquinoctium autumnale et 44 antè solstitium hibernum ; cum peculiari vivendi modus referatur ad 48 dies inter æquinoctium et occasum Vergiliarum , et alia diæta ad dies 44 ab eodem occasu ad solstadium.

3.º Diem unum supra nonaginta computatum fuisse à solsticio hiberno ad æquinoctium vernum : in textu enim numerantur à solsticio 44 dies , dein 15 ad Arcturi ortum heliacum , postremò 32 ad æquinoctium usque.

4.º Solstitium æstivum ab æquinoctio autumnali separatum fuisse intervallo dierum 93.

5.º Dies 91 illuxisse inter æquinoctium autumnale et solstitium hibernum ; scilicet 48 ab æquinoctio ad Pleiadum occasum , et 44 à Pleiadibus ad solstodium : quos numeros addentes unitate minuerlos

( 18 )

censemus, cùm dies occasús Vergiliarum videatur computatus utrimque.

Hinc igitur colligere licet auctorem Astronomiæ, pro tempore, peritissimum fuisse et observationibus ejus fidem habendam; tunc enim studiorum medicorum pars non minima erat Astronomia; cùm in pluribus Hippocraticorum scriptorum locis hæc disciplina celebretur, et in libro imprimis *de Aeribus, aquis et locis* medico præscribat diuīs senex observationem solstitiorum, æquinoctiorum, et exortūs siderum, præcipuè canis, deinde Arcturi, et Vergiliarum occasús.

Pleiadum ergo occasus, apud auctorem, præcedebat solstitionem hibernum 44 diebus. Eæ igitur stellæ tunc referebantur ad 18 aut 19.<sup>um</sup> gradum signi Scorpionis, et meridiano subjacebant cum 223 aut 224° æquatoris gradu; dum 13 circiter gradibus ad 15 declinarent ad austrum. Nunc verò eadem sidera subjacent 27° gradui Tauri; meridianum tangunt cum 53 aut 54° æquatoris gradu, et declinant ad boream 23 ad 24°. Distat igitur punctum æquatoris meridiano subjectum cum Pleiadibus, dum scribebat auctor, à punto ejusdem circuli nunc cum Pleiadibus meridianum subeunte, 196 gradibus circiter, et declinatio Pleiadum immutata est gradibus ad minimum 36. Sed ista ad Astronomos.

Aliundè, quod nobis satis est, occasus Pleiadum apud auctorem differt ab occasu hodierno eorumdem siderum, ad latitudinem 39°, sex octo diebus, ad minimum, ultra sex menses: ergo, ab auctoris tempore, æquinoctia confecerunt plusquam medium revolutionem: ergo tempus auctoris, quo Pleiades occidebant 44 diebus ante solstitionem hibernum, distat intervallo quingentorum circiter supra tredecim millia annorum ab hoc nostro tempore, quo Pleiadum occasus advenit 36 aut 38 diebus ante solstitionem æstivum.

Quatuor sæculis remotior videri posset liber *de Structurâ hominis ad Perdiccam regem*, cuius extat solummodo versio latina confecta post reformationem Julianam calendarii, prout indicant nomina mensium et æquinoctiorum relatio ad menses romanos, evidenter interjecta à traductore ipso aut ignaro quodam librario. In hujus

( 19 )

enim libri tempestatum divisione, Pleiadum occasus refertur ad 49.<sup>um</sup> diem ante solstitium hibernum.

In hoc autem libro, sicuti forte in præcedenti, æquinoctiorum distantia ab invicem, diebus interjectis computata, parùm differt à tempore quod nunc scimus terram impendere ab uno ad alterum æquinoctium. Longius abest à veritate solstitiorum intervallum: auctor enim videtur constituisse solstitium hibernum ubi apparere incipit solis ascensus ad æquatorem, et solstitium æstivum ubi cessat percipi ascensus ad tropicum. Talis computandi modus loco vero postponeret solstitium hibernum, Pleiadum occasum aliquot diebus adduceret ad genuinum solstitium, et sic quatuor circiter sæcula demeret antiquitati auctoris; cui tamen remanerent annorum millia ut minimum tredecim.

Eandem antiquitatem induxisset exortus Arcturi uterque, in iisdem libris indicatus, et imprimis ortus heliacus, ad quinquagesimum nonum diem post solstitium hibernum relatus et trigesimum secundum ante æquinoxium vernum. Sed logomachiæ et contestationibus extricatu difficilibus ansam præbuisset ortus iste Arcturi, si ab illo initium computandi duxissemus, pessimaque incubuisset necessitas refellendi doctissimos viros *Freret, Baily* et alios complures, qui ortum Arcturi aliter ac nos acceperunt in Hesiodo. Occasus autem Pleiadum, 44 diebus ante solstitium adveniens, unico tantum modo intelligi potest, nec aliud esse quisquam contenderit, nisi ultimam sideris apparitionem in horizonte occidentali, post solis occasum; occasus enim matutinus, nullibi ab auctore indicatus, incideret absurdè in tempora nobis proxima.

Porrò ortus heliacus Arcturi, id est, prima ejus apparitio ante solem in horizonte orientali, ad latitudinem borealem graduum 39, incidit in diem 102 ad 104 post occasum Pleiadum; ut patet evidenterissimè e sola inspectione sphœrae cœlestis ad latitudinem idoneam dispositæ. Applicetur enim horizonti occidentali gradus Tauri 25 aut 26, in quo sol censetur Pleiadibus occidentibus: tunc convergatur globus stellifer ex oriente in occidentem, dum index horarius

( 20 )

percurrerit horarum fere septem spatium , correspondens revolutioni siderum per dies 104 à Pleiadibus ad Arcturum : dein index horarius applicetur horæ sesquiquintæ vespertinæ , versus quam sol ad horizontem adductus occidit, apud auctorem , 32 diebus ante æquinoctium vernum : postremò , iterum convertatur globus usque dum Arcturus emergat ex horizonte orientali : emersio hæc advenire deprehendetur paulò ante medium horæ septimæ matutinæ et antè solis tunc temporis exortum.

Nullo igitur modo dubitari potest ortum Arcturi, post solstitionem hibernum , diebus 59 apud Hippocratem et 60 apud Hesiodum , advenientem , fuisse ortum heliacum ; et ortum ejusdem sideris paulò ante æquinoctium autumnale , duobus ferè mensibus priorem Pleiadum occasu , fuisse ortum vespertinum , id est , apparitionem astri in horizonte orientali , cùm primū stellæ conspici possunt post occasum solis. His positis , ortus Canis seu Sirii , in aliis Hippocraticis libris memoratus et ad finem tertii mensis ante Arcturum , paulò post solstitionem æstivum , relatus , est etiam ortus vespertinus. Ex istis proinde facile erit eruere tempus compositionis librorum *de Aeribus , aquis et locis* , primi et tertii *de Morbis popularibus* , et cæterorum fortassis epidemicorum. Sed singulas ex eis libris astrorum observationes longius esset perpendere et ad hodiernæ astronomiæ normam sigillatim adducere. Ne igitur in nimiam molem crescat dissertatio , hic satis erit Hippocratici anni divisionem , supradictæ tempestatum partitioni conformem , ex Galeno et Mercuriali , additis quibusdam , repetere , cunctarumque Hippocratis observationum cum illâ divisione concordantiam ostendere : tunc enim manifestum erit has observationes , cum libris in quibus continentur , referendas ad tempus idem quo Pleiades occidebant quadraginta quatuor circiter diebus ante solstitionem hibernum.

Hippocrates igitur et alii quidam , inter quos Hesiodus ac fortassis Homerus , annum in septem partes diviserunt. Hiems , tripartita in *Sementarium* autumno continuum , Hiemem propriè dictam , et *Plan-tarium* , extendebat ab occasu Pleiadum ad æquinoctium vernum ,

( 21 )

per menses quatuor et medium mensem. Ver , ab æquinoctio ad Pleiadum exortum vespertinum , unicum tantum mensem aut proximè comprehendebat. Æstas, bipartita in Æstatem propriè dictam à Pleiadum exortu ad Canis ortum , et in Oporam , cuius etiam meminit Plutarchus , maximè omnium tempestatum calidam et siccām , à Cane ad Arcturi exortum ; continebat menses quinque et aliquot dies insuper. Autumnus , ab Arcturo ad Pleiadum occasum , mensibus paulò minùs duobus concludebatur.

Porrò talis est tempestatum et astrorum dispositio libris *de Morbis popularibus* , et *de Aeribus , aquis et locis*. Hiems ubique incipit à Pleiadum occasu : ver terminatur Pleiadum exortu vespertino : Canis vespere oritur post solstitium æstivum , et Arcturus itidem vespere ante æquinoctium autumnale ; unde in antiquitatis horum librorum æstimandæ elementis non potest adesse error nisi paucorum dierum , cùm ortus Sirii in sphœrâ distet ab ortu Arcturi mediâ horâ supra quinque , seu paulò plus quam octoginta duobus diebus , atque auctor concluserit ortum utriusque sideris inter solstitium et æquinoctium , spatio trium mensium. Hic est autem textus Hippocratis latine versus , ex editione Hallerianâ.

De Morbis popul. , lib. 1 , sect. 1 , initio. « In Thaso , autumni tempore , circa æquinoctium et sub Pleiadas , etc. (Vander-L. a. 653. 2.) »

Ibid. , sect. 2 , initio. « In Thaso , ante autumnum tempestates non tempestivæ , etc. .... Hujusmodi verò durabant ad Pleiada et sub Pleiade. Hiems autem aquilonia , etc... æstas non valde æstuosa... mox circa Arcturum , etc. (Vander-L. a. 656. et 657. 2 ad 11.) »

Ibid. infra. « Plurimos horum sub Pleiadas et usque ad hiemem febres consequebantur. ( Ibid. 36. ) »

Ibid. Constit. temporis tertiae initio. « In Thaso , paulò ante Arcturum et sub Arcturo aquæ multæ.... circa æquinoctium autem et usque ad Pleiadas austrinæ pluviae paucæ; hiems aquilonia.... circa æquinoctium hiemes maximæ. Ver aquilonium.... circa solstitium æstivum aquæ paucæ , magna frigora usque ad Canem. Post Canem usque ad Arcturum æstas calida.... circa Arcturum

( 22 )

« pluviae austrinæ usque ad æquinoctium:.... in autumno jam et  
« cùm pluviae fierent , etc. ( *Ibid. 662. 103 ad 114.* ) »

Ibid. Paulò post. « Circa Arcturum autem , etc... at verò circa æqui-  
« noctum et usque ad Pleiadas et sub hiemem , etc. ( *Ibid. 147 et 150.* ) »

Ibid. , lib. 3 , sect. 3 , initio. « Circa Arcturum aquæ multæ. Au-  
« tumnus nubilus.... hiems austrina.... post solstitium , longè

« posteà , prope æquinoctium , seræ hiemes.... circa æquinoctium  
« aquilonares venti.... ver rursùs austrinum sine ventis. Aquæ

« multæ perpetuò usque ad Canem. Æstas serena.... rursùs , circa  
« Arcturum , in aquilonaribus aquæ multæ. ( *Ibid. 721. 4 ad 11.* ) »

De Aeribus , aquis , etc. , cap. 6. « Si verò hiems quidem sicca sit  
« et aquilonaris , ver autem pluviosum et austrinum , necesse est

« æstatem febriculosam fieri.... et siquidem sub Canis exortum  
« ingruat pluvia.... spes est cessationis et *Metoporam* salubrem

« fore. ( *Vander-L. a. 342. XXV. 7 et 343. XXVI. 1.* ) »

Ibid. infra. « Quod si borealis sit æstas , neque sub Cancem , neque  
« sub Arcturum pluviosa , etc. ( *Ibid. 344. XXIX. 1.* ) »

Ex istis igitur observationibus , anni divisionem superiori similem  
inducentibus , inferre licebit quinque libros Hippocraticos , tractatum  
*de Aeribus , aquis et locis*; primum et tertium librum de *Morbis*  
*popularibus*; tertium de *Sanorum victus ratione*; librum demùm  
*de Hominis structurâ ad regem Perdiccam*; esse omnes ejusdem  
ferè antiquitatis , referrique astrorum ortu et occasu ad annorum  
millia tredecim : nisi fortè ultimus *de Hominis structurâ* fuerit  
solummodo præcedentis epitome.

Si tamen illa est antiquitas quorumdam librorum Hippocraticorum ,  
mirum videri potest cur non eorum meminerint Hesiodus ac præ-  
sertim Homerus , qui de omnibus suo tempore cognitis loquitur ;  
medicinam ægyptiam laudibus extollit ; ipse quoque medicus videri  
posset , ex anatomicis descriptionibus et doctrinâ omnifariâ. Nonne  
fortassis Homerus et Hesiodus , si non sint anteriores auctoribns  
illorum librorum , fuerunt saltem ejusdem ævi aut paulò tantùm  
postiores ?

( 23 )

Antiquitas Homeri colligi potest ex Odysseæ lib. 4, ubi Pharos Ægyptiorum erat insula necdum continentis adjecta; sed facilius ex Iliados lib. 22 initio, ubi Sirius splendet *tempore Oporino, hora mulctræ vespertinæ*. Unde patet ortum Canis vespertinum advenisse Homero, sicut Hippocrati, paulò post solstitium aestivum.

Hesiodi quoque observationes astrorum, e lib. 2 de Operibus et diebus, cum Hippocraticis observationibus optimè concordant. Messem indicat poeta ortu Pleiadum, arationem et seminationem occasu eartumdem Pleiadum et transitu gruum; pluvias metoporinas, sive ante-æquinoctiales, Sirio gradientे supra hominum capita aliquantum interdiu et plus noctu; frumenti excussionem in areâ campestri explanatâ et repositionem domi, oriente Orione; Vindemiarum tempus cùm, post occasum solis, Orion et Sirius apparent in medio cœlo et Arcturus in horizonte orientali; Arcturi denique ortum heliacum sexaginta diebus post solstitionem hibernum, cùm scilicet Arcturus emergens e fluctibus oceani primum appareat in noctis extremæ diluculo.

Hippocratis igitur, Homeri, Hesiodi cœlestium observationum comparatio lumen ingens eliceret ad chronologiam, Paria fortassis Arondelii et Oxoniorum marmora comminueret, dum historiam medicam nobilitaret antiquitate ultra vulgarem captum remotâ, si unius cuiusvis, e doctissimis et peritissimis nostratibus Astronomis, conspectu et lucubrationibus quantuliscumque illustraretur. Quod si ego, in astrorum doctrinâ parùm versatus, in quibusdam computationibus erraverim, rerum novitati et disquisitionum moli facilè condonabitur; dummodò veritatis alicujus novæ auctor fuero, et discipulus quondam Doctissimorum, in Scholis Medicis et Chirurgicis Parisiensibus, Magistrorum, non videar indignus tantis præceptibus.

( 24 )

## EXCERPTA EX HIPPOCRATE.

( edit. Vander-Linden. )

### *De Diætâ ægrorum.*

*Aphor. Sect. I.* Aphor. 4. Tenues et exacti victus , et in longis sempèr affectionibus , et in acutis , ubi non expedit , periculosi sunt.

Aph. 5. Tenuis et exactus victus periculosus est magis quam paulo plenior.

### *De Hypothesibus physiologicis.*

*De Vet. med. initio.* Quicumque de Medicinâ dicere aut scribere aggressi , dicendi scopum sibi ipsis ac fundamentum supposuerunt , calidum aut frigidum , aut humidum aut siccum , aut aliud quodcumque voluerint , rem in compendium contrahentes , principium caussæ , tūm morborum tūm mortis , hominibus idem , unum aut duo proponentes ; hi in multis quidem , quæ dicunt , manifestò errasse deprehendentur.

### *De Physiologiâ chimicâ.*

*De Diætâ. L. I.* Generari et perire sive corrupti idem est ac commisceri et secerni.

### *De Opinione.*

*Lex.* Duo sunt Scientia et Opinio , quarum altera quidem scire facit , altera verò ignorare.

### *De Ulcerum Chirurgiâ.*

*De Medico.* Est sanè ulceri conveniens linteorum impositio : verùm cataplasmate per ambitum ulceris utaris.

### *De Meteorologiâ geographicâ.*

*De Diætâ. L. II.* Auster à similibus aquiloni naturâ regionibus spirat : ab australi enim polo spirans , et à nive multâ glacieque ac gelu fortibus procedens , necessariò his qui propè ipsum illuc habitant talis spirat , qualis nobis est aquilo.